



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum  
Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 10. De quatuor valdè singularibus excellentijs charitatis, & amicitiae  
Dei cu[m] hominibus, & qua ratione eas imitari poßimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO X.

DE QUATVOR SINGV-  
laribus excellentijs infinitæ charita-  
tis & amicitia Dei erga homi-  
nes, & qua ratione possi-  
mus illas imitari.



**E**XCELLENTIAE charita-  
tis Dei erga homines hæc-  
tenus indicata, fundamentum  
habent proprietates per-  
fectæ amicitia, quæ inter ho-  
mines esse cõsuevit: Alias nũc  
ita singulares indicabimus,  
vt non nisi in ipsa Dei amicitia inueniri possint;  
quæ quod ex parte sua sit infinita, adeo est singu-  
laris & excellens, vt nulla alia par illi esse possit.  
Hæc autem proprietates, ad quatuor illas redu-  
cuntur, quas recenset Apostolus, a Latitudinem,  
& Longitudinem, & Sublimitatem, & Pro-  
fundum. LONGITVDO est duratio æterna  
absque principio & sine; LATITVDO est exten-  
sio & dilatatio ad omnes homines, qui amicitia  
cum illo contrahere volunt: SVBLIMITAS est  
excellencia bonorum cœlestium, ad quæ percipi-  
enda illos extollit: PROFVNDVM sunt secreta  
& occulta huius amicitia; quæ alia sunt, vt ne-  
mo illa possit penetrare; & quamuis horum ali-  
quid in præcedentibus Meditationibus sit positum

I.

a Ephes. 3.  
18.  
Et S. Thõ.  
ibid. lect. 5.

h s eadem

*eadem tamen fusiùs in hac proponuntur .per subiecta puncta.*

## PUNCTVM I.

I.  
Aeternitas  
amoris  
Dei.

*a Ierem. 3. 9.*

*b Eccl. 9. 14.*

**P**RIMA excellentia, singularis charitatis Dei erga homines est, quod sit AETERNNA, adeò videlicet antiqua, atque est ipse Deus; qui à sua æternitate decreuit amare homines, & amicitia cum illis cõtrahere, nec solùm in genere, & confusè, sed in particulari vnumquemq; cognoscēs, & quod in se est, volens illi dare omnia bona gratiæ & gloriæ, in quibus ipsa amicitia fundatur; quamuis adhuc particulariùs eos amauerit, quos prædestinatos vocam⁹; ita vt liceat mihi applicare, quod ipse Deus dixit per Ieremiã: *a in charitate perpetua dilexite te*, quasi diceret, à quo sum Deus, te diligo; à quo me ipsum diligo, etiam te amo; Ita æternus est amor, quem erga te habeo, atque sum ego æternus, & amor quo me ipsum diligo. O Amator æterne, quis non te incessanter diligit? vtinam semper te dilexisssem, ex quo sum homo, siquidem tu me dilexisti ex quo es Deus! ne differas, anima mea, Deum diligere: nam etiam statim diligens, adhuc moras trahere videberis: incipe statim diligere eum, qui te semper dilexit: *ama amorem ab æterno te amantem*. Si amicus, vt bonus sit & fidelis, debet esse antiquior, quis antiquior amicus esse potest, quam qui est æternus? Amplectere sapientis consiliũ dicentis: *b ne derelinquas amicum antiquum*.

*non*

nouus enim non erit similis illi. ne derelinquas amicitiam Dei, pro hominū amicitia: hæc enim non erit similis illi; & quantum æternum excedit temporaneum, tantum amicitia illa hanc excedit. Hæc & similia animi propofita, & affectus, ex hac confideratione concipiam, gratias Deo agens, quod me ab æterno dilexerit; & optans femper ipsum dilexiffe, ex quo capere habere vsum rationis; confidens amico aded antiquo; ac dolens, quod illum dereliquerim, vt nouas amicitias cum creaturis contraherem; ac denique ftatuens non amplius illum relinquere.

## II.

Ex hac confideratione ascendam ad perpendendum, quod charitas & amor Dei, femper fit prior nostro, quia fuo amore nos præuenit; iuxta illud Sancti Ioannis, *c in hoc apparuit charitas Dei in nobis, non quafi nos dilexerimus Deum, fed quoniam ipfe prior dilexit nos.* Præftantia charitatis Dei ex hoc maxime apprehenditur, quod prior nos diligit, quam nos illum diligamus. Hoc enim eft fignum, quod non propter fuum emolumentum, aut propter noftra merita nos diligit; fed gratis, & quia ipfe bonus eft; & vt amore fuo ad fe noftrum attraheret, & ad redamandum pro-uocaret. Et ita concludit idem Sanctus Ioannes: *nos ergo diligamus Deum; quia ipfe prior dilexit nos.* O anima mea, fi quod quis amet, in caufa eft, vt idem ametur, vt idem diligatur, & talis Dei; vt diligas, te aded diligentem,

& fuo

c. 1. Ioan. 4.  
9.

& suo amore te præuenientem. O amator æterne, si possibile id fuisset, vt prior ego te diligerem, quàm à te diligerer, iustissimum fuisset, vt amor meus tuum sollicitaret, & supplex ego orarem, vt me redamare dignareris. Sed quoniam amor tuus meum sollicitat & vrget, ex nunc illum tibi offero, ex intimo desiderio te diligendi, quia tu me diligis; & in dies magis amandi, vt & tu pergas, me amplius amare & amoris tui dona in me augere.

III. TERTIÒ perpendam charitatem Dei esse æternam, quoad durationem futuram, cum magna stabilitate & firmitate, per totam æternitatem: Sicut itaq; illa nullum habuit principium; ita, quod in se est, nec finem est habitura erga homines; ideoque possum considerare, quòd magnus hic Deus, & æternus amator, semper me dilexerit, ac porrò diligat, & dilecturus me sit, quamdiu ipse erit Deus, nisi ego ipse desim. Nam amor eius, sicut & dicitur misericordia, quæ ab ipso procedit, ab æterno est, & que in æternū, nec vlla est res creata, quæ amorem hunc Deo possit auferre. & hoc modo intelligi potest, quod ait Apostolus, e *Quis nos separabit à charitate Christi?* quasi dicat: quis efficere poterit, vt Deus desinat nos amare per Christum? nam *in omnibus laboribus, & tribulationibus superamus, propter eum qui dilexit nos, & propter virtutem, quam efficit in nobis amor, quem ipse erga nos habet.* Et adeo progreditur stabilitas huius amoris, vt quando nos culpâ nostrâ hanc amicitiam rumpimus,

d *psal. 102.*  
17.

e *Rom. 8. 35.*  
*Tolet. ibid.*

mus,

mus, & eius inimici efficimur, ipse infinita  
 suâ charitate firmus semper perseverat, op-  
 tans, vt in eandem amicitiam & gratiam re-  
 deamus: paratus nos denuo ita admittere in  
 gratiam, vt etiam iniuriâ obliuiscatur, si cul-  
 pam deprecemur: quasi nobis dicens illud le-  
 remiæ, *Et tu fornicata es cum amatoribus mul-* *f Jerem. 2. 2.*  
*ti: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.*  
 O Amator æterne & immutabilis, da mihi  
 amorem tuo similem, à quo nihil me possit  
 separare. Si tu amorem tuum à me non se-  
 paras, quis meum poterit à te separare? *g An* *g Rom. 8. 35.*  
*tribulatio, an angustia, an fames, an gladius? ni-*  
 hil horum ad id potens est: nam amor, quem  
 mihi dederis, facile vincet omnia, in virtute  
 illius, quem tu erga me habes: *h nec aqua* *h Can. 8. 7.*  
*multa poterunt extinguere charitatem hanc,*  
*nec flumina obruent illam, si tuæ sit semper*  
 coniuncta: nam tua est ignis infinitus, qui in  
 momento illa omnia absumet. Ne permittas,  
 amator æterne, vt ego amicitia tuæ filum ab-  
 scindam culpâ meâ. quòd si tanquam imbecil-  
 lis, aliquândo abscidero, excitet me amor tuus  
 ac præueniat, vt redeâ ad te: imple in me pro-  
 pensionē charitatis ad nunquam deficiendum,  
 (siquidem *i ipsa nunquam excidit*) vt me illam *i 1. Cor. 13. 8*  
 constanter in temporali hac vita seruante, il-  
 la perduret vsque ad æternam, Amen.

PUNCTVM II.

SECUNDA charitatis Dei excellentia, est **L**  
 eius LATITVDO, quæ est infinita; quia,  
 quòd in se est, complectitur omnes ho-  
 mines

a Sap. 11. 24.

b Rom. 9. 13.

c 1. Tim. 2.

4.

d Prov. 25.

21.

Rom. 12. 20.

e Matt. 5.

43.

mines cuiuscunque sint status & conditionis; omnes cupiens ad gratiam & amicitiam admittere, nullo excluso, qui velit admitti, ut locum hic habeat, quod Sapiens dixit cū Deo loquens: *a dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam; diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorū quæ fecisti;* ac porro nullū hominem odisti tanquam inimicū, nisi ob culpam, quam pœnitentia non deleuit. Et quamvis verum sit, q̄ speciali amore diligit prædestinatos, in quo sensu dicitur *b Iacob*, hoc est, Prædestinatos *dilexi; Esau autē*, hoc est, Reprobos, *odio habui*, quia non æquè hos atque illos dilexit: absolute tamen, quod in se est, omnes amat charitate infinita, & *c vult omnes homines saluos fieri*, & sibi esse amicos; nec cessat magna amoris blandimenta illis ostendere; (sicut ostendit Iudæ falso discipulo suo) ut eos ad suam reuocet amicitiam; hac ratione *d catibones ignis congerens super caput sui inimici*, ut faciat amicum. Et ita paterno hoc amore effecit, ut filius eius, qui est *e sol iustitiæ*, *irrueretur super bonos & malos; & pluuia doctrinæ eius, offerretur iustis & iniustis*, & ros cœlestium donorum descenderet super omnes, quorumque illum vellent suscipere. O immensitas charitatis Dei, quæ omnes amplecteris, & nūquam tamen expleris; quòd semper latitudo superfit ad plures recipiendos! Exulta, anima mea, ob immensam huiusmodi charitatem, & confide, te fore eius participem. O Amator immense, cuius infinita charitas tam habet la-

ros sinus; admitte oēs mortales intra illos. Occlude, si fieri potest *f Inferni os, & absq, termino ille aperuit*, vbi te oēs olerūt, vt nullus eo *f Isaiā 5. 14.* descendat; aperi verò celi sinus, vbi oēs te diligunt; vt oēs eò conscendant, & in amore tui ac laudibus in æternum occupentur, Amen.

II.

DEINDE perpendam, hoc etiam singularissimum esse in hac charitate Dei, quòd licet ad plurimos se extendat, idem tamen illi sit, atque si ad paucissimos se extenderet; ideoque nihil propterea perfectionis illi decedat. Inter homines quidem arcta & perfecta amicitia (teste Aristotele) debet esse inter paucos, eò quòd sit per rarum multos inueniri, qui simul sint fideles, & quibus confidi possit: at Deus noster infinita sua charitate, amicitiam contrahens cum multis, facit illos amicos fideles, dans illis veram charitatem: & quamuis dilectissimi sint multi, ita tamen singulis est familiaris, atque si vnus esset solus. Multitudo itaque amicorum Dei, non impedit familiarem eius cum illis communicationem; vt apparet in cœlo, vbi hæc amicitia est perfectissima. Et hanc ob causam, cum in Canticis Canticorum, tria genera animarū sponsus retulisset, quæ apud ipsum manerent, cõcludit dicens: *g vna est columba mea, g Can. 6. 8.* perfectamea; quasi diceret; omnes simul animas, quæ vnã Ecclesiam constituūt, ita diligo, atq; si oēs vna essent, & ad vnum finem, æternam scilicet earum beatitudinem & gloriam meam. O Dilecte mi, gratias tibi pro hac

volun-



h Coloss. 3.  
14.

voluntate, qua cupis amicitiam habere cum omnibus; & ita cum singulis arctā, atq; si esset vnus solus. O si anima mea adeo esset felix, vt esse posset vna ex his tuis sponsis, cui dixisti, *vna est columba mea, perfecta mea, vna est Matri sue*; fac me quæso columbam tuam per innocentiam; perfectam tuam per *h charitatem, quæ est vinculum perfectionis*; & concede, vt te in militanti hac Ecclesia diligam, sicut te diligit mater nostra Ecclesia, iam triumphans in coelo.

Ex duplici hac consideratione, duplex propositum concipiam, vt possim Dei charitatem imitari. *Primum* erit, neminem odiendi aut pro inimico habendi; sed amandi vniuersos, laxando sinus charitatis, qui omnes homines capiant, bonos & malos, perfectos & imperfectos; omnibus præstando amici opera, in quibus potero. *Secundum* propositum est, reducendi amorem omnium ad vnum solum, qui est Deus, ita vt licet plures diligam, non tamen vt plures, ob particulares scilicet singulorum respectus id faciam; sed ob vnum solum præcipuè motiuum, & propter vnum solum amicum, qui est Deus, cuius sunt omnes.

PUNCTVM III.

**T**ERTIA excellentia est **SUBLIMITAS** Diuinæ charitatis, quæ apparet in excellentia beneficiorum & donorum, quæ ab ea procedunt; quæ adeo sunt sublimia,

vt maiora esse non possint; imò ostendunt, altitudinem & sublimitatem suam esse infinitam.

I. PRIMVM, quia nos eleuant ad sublimitatem & supremam dignitatem filiorum Dei, & hæredum regni eius; propter quam causam dixit Sanctus Ioannes: *a Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* quasi diceret; contemplantini & perpendite sublimitatem, ad quam peruenit charitas Dei, & admirandos affectus & effectus quos produxit; siquidem nos eleuauit, vt essemus filij Dei, idq; cum omnibus excellentijs, quas habere debent filij talis Patris. Quæ excellentiæ quales sint, non est possibile in hac vita assequi, ideoque adiunxit: *nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* In cœlo itaque deprehenderetur sublimitas huius dignitatis filiorum Dei, & charitatis eius, quæ nos ad eam exaltauit. Gratias tibi, Pater amantissime, pro charitate quam exhibuisti mihi, accipiendo me in filium; clarifica oculos animæ meæ, vt cognoscam qualis hæc sit charitas; vt ea indutus, te diligam tanquam Patrem, conando esse tibi similis in amore, vt postea sim etiam similis in gloria, Amen.

a. 1. Ioan. 3. 1

II.

DEINDE apparet quoque diuinæ Charitatis sublimitas, quòd nos ad eò dilexerit, vt Redemptionis nostræ causâ hominem vnum

V I. Part. Med.

i

naturæ

naturæ nostræ, adeo exaltauerit, vt esset filius Dei; non adoptiuus, sed ipsemet filius Dei naturalis, propter vnionem Incarnationis: ita vt vnus sit realis homo & verus filius Dei, æqualis æterno Patri, & vnus cum illo Deus. Adeo quæ altè charitas Dei hic est progressa, vt altiùs non potuerit. quamobrem dixit ipsemet **CHRISTVS** Dominus noster; b sic

b Ioan. 3. 16.

**DEVS** dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Et Sanctus Ioannes adiecit:

c 1. Ioan. 4. 9.

c in hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit **DEVS** in mundum, vt viuamus per eum. Cum hoc

homine cœlesti contraxit **DEVS** excellentissimam amicitiam, quæ esse potest, post infinitam illam, quæ est inter tres diuinas personas: Nam, vt hæc fundatur in vnitate

Essentiæ, ita illa fundatur in vnitate vnus eiusdemque personæ, æqualis ipsi Deo: Et

huic vnitati innititur firmitas & securitas illius, quam **DEVS** habet nobiscum, qui diligit nos propter **CHRISTVM** filium suum, d quem dum nobis dat, omnia cum illis nobis donat.

d Rom. 8. 33

O altitudo bonitatis & charitatis Dei, quam incomprehensibilia sunt opera tua, & inuestigabiles viæ tuæ! O amor ineffabilis, qui, vt perfectam amicitiam cum

homine contraheres, illum ad Dei æqualitatem eleuasti! O amator altissime, quas tibi referam gratias, pro tam altis & præstantibus amoris operibus? & quomodo te dignè laudare poterò propter illa? laudet te Do-

mine

mine ipsamet charitas tua; ac benedicant opera, quæ ab illa proueniunt: & præ omnibus te glorificet ipsemet Filius tuus, verus Deus & homo, in quo diligimur omnes tam alta & summa charitate. Aspice in faciem huius tui dilecti amici, antiqui, & noui; antiqui quidem, quæ est Deus; noui autem quæ est homo: per eum, Domine, supplex oro, vt me facias amicum tuum, renouans me secundum imaginem huius noui hominis, vt per eum viuam, & consequar vitam æternam, Amen.

*De hac consideratione plura sunt dicta in 2. part. Medit. 2.*

LICET etiam altitudinem eiusdem diuinæ charitatis, perpendere in mysterio Sanctissimæ Eucharistiæ: in qua idem ipse CHRISTVS, DEVS & homo verus, speciebus panis & vini tectus, ad nos ipsos ingreditur, vt hanc charitatem in nobis conseruans, & augens intimè secum nos vniat, vt in 4. p. Medit. 11. perpendimus, & fusiùs adhuc inferiùs expendemus Medit. 42.

III.

ULTIMÒ perpendam eiusdem diuinæ charitatis sublimitatem, ex sublimitate infiniti doni, quod nobis largitur, dans nobis spiritum S. qui est fons amoris, vt proxima Meditatione apparebit.

IV.

Ex his omnibus generosum quoddam concipiam desiderium, imitandi hanc diuinæ charitatis sublimitatē, ita eam amādo, vt semper in eius obsequio res altas & grandes perquiram, cum alta semper intentione, eius maioris

e Phil. 1. 9.

gloriae, cum alta oratione & contemplatione myfteriorum eius, & excelsa imitatione virtutum; implens quod dicit Apostolus: *hoc oro, vt charitas uestra, magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu spirituali: vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa, repleti fructu iustitiae, per IESVM Christum in gloriam & laudem Dei, Amen.*

PUNCTVM IV.

I. Profunditas amoris Dei.

a Phil. 2. 7.

b Heb. 2. 17.

c Ioan. 15. 13.

**Q**UARTA excellentia eiusdem charitatis Dei, est eius PROFUNDITAS: quae apparet *primum*, in profundis Dei humiliationibus quas hominum gratia suscepit, quia, cum Diuinum verbum esset aequale Patri, a exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: & humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. vt quoniam perfecta amicitia exigit amicorum aequalitatem, & ipse DEVS, adeo erat sublimis & altus, voluit se inclinare, & induere hominum naturam; *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, vt sic fraternè illis conuiuens sicut homo, b per omnia fratribus suis assimilaretur. Praeterea sicut perfecta charitas, non solum ostenditur beneficiendo amico, sed etiam pro eodem labores sustinendo, quia c maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat pro amicis suis; voluit infinita Dei charitas, etiam haec amoris indicia praebere. Sed quia in

propria sua natura diuina, nec pati poterat,  
 nec mori; assumpsit humanam, in qua labores  
 grauissimos, contemptus, & ignominias ma-  
 ximas, ac denique mortem crudelem pro suis  
 amicis pateretur! Et quid dico pro amicis? in  
 hoc maxime: *d commendat charitatem suam* d Rom. 5. 8.  
*Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores*  
*essemus, secundum tempus, Christus pro nobis*  
*mortuus est, ut faceret amicos: & pro ijs qui ip-*  
*sam oderat, ut amicos faceret & induceret ad*  
*amandum. O immensam abyssum charitatis*  
 Dei! O altissimam & profundissimam chari-  
 tatem, quæ hominem extulisti ad altissimum  
 quod est in Deo: Deum verò humiliasti ad  
 profundissimum & abiectissimum quod est in  
 homine. e *O patientem & benignam charita-* c. 1. Cor. 13. 4  
*tem, quæ non contenta, ex maxima benigni-*  
*tate nobis benefacere, voluisti etiam plurima*  
*pro nobis patientissime perpeti! O Dilecte*  
*anime meæ, ostende mecum hanc charitatem,*  
*et aliam mihi donando, quæ me inclinet*  
*ad humiliandum vsq; ad profundum mei ni-*  
*hili, & excitet ad toleranda quæuis vsque ad*  
*ipsam mortem pro gloria tua. Idem licet per-*  
*pendere circa mysterium Eucharistiæ, in qua*  
*etiam apparet profunditas eiusdem charitatis*  
 Dei, ad inuenientis media profundæ ad eò hu-  
 militatis ad honorandum & indulgendum  
 amicis, qui vera charitate illum amant.  
 ETIAM apparet profunditas charitatis Dei  
 in abisso secretorum iudiciorum Diuinæ sa-  
 pientiae, erga suos amicos, ut eis benefaciat.

I I.

fRom. 8. 28. Nam, vt ait Apostolus: f *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, tribulationes, afflictiones, tentationes & miserie, tam proprie quam aliorum; imò & ipsi defectus & culpæ, in quas ex debilitate labuntur, etiam illis cooperantur in bonum: quia Deus ea occasione vtitur, ad magis eos radicandos & perficiendos in amore. Incomprehensibilis itaq; profunditas charitatis Dei respundet in omnibus operibus iustitiæ, & vindictæ, quam sumit de impijs, in utilitatem bonorum; & in bonis ad maiorem eorum profectum: Adiuuens mille media, & vias occultas, natus ex abyfso æternæ prædestinationis, in salutem ipsorum prædestinatorum.

III.  
Charitatis  
nostræ per-  
fectio.

gEphes. 3. 17

HÆ sunt quatuor excellentiæ infinitæ charitatis Dei, quas licebit cognoscere & sentire, non tam prolixis Meditationibus, quam editis intensis charitatis actibus: vt profundas in ea radices iaciam, sequens Apostoli consilium dicentis: g *radicamini & fundamini in charitate vt experientia possitis comprehendere proprietates & excellentias infinitæ charitatis Dei, per quam agnoscatis & comprehendatis charitatem longam in duracione, que duret vsque ad vitam æternam; latam in extensione, quæ complectatur omnia opera amoris & omnes personas, quæ amari possunt; sublimem in intentione, & desiderio, quod non descendat ad res terrenas, sed desiderio conscendat ad cœlestes: Et profunditatem in humilitatione: sustinētes omnes labores & con-*

emptus, qui vobis euenerint, eò quòd vestro dilecto fideles fueritis. O Dilecte cordis mei, da mihi charitatem, tuam in his quatuor proprietatibus similem, vt tali spiritu te in hac vita diligens, perueniam ad te fruendum, & te amandum in altera, in æternum, Amen.

MEDITATIO XI.

QVOD DEVS DESIDERET ab hominibus amari, de quo etiam præceptum statuit, & auxilia, ac præmia offert.



VAMVIS ex D. Thomæ sententia, magis proprium sit <sup>2.2.9.27.2.</sup> charitatis, amare, quam amari: nihilominus infinita Dei charitas non est contenta, si ipsa nos amet; sed summè desiderat, à nobis amari; non sui emolumenti, sed nostri potius causâ: ideoque, vt iam diximus, præuenit nos amando, vt nos ad redamandum prouocet: quia amare est efficax motiuum redamandi. Hoc desiderium, eiusque efficacia & excellentia apparet in rebus aliquibus, quas in subiectis punctis indicabimus.